

& ubi preciosiores thesauri reconditi sunt, ibi sollicitiori vigilantia incumbendum est, vt seruentur. In visibili bello visibilis est hostis, & temporalis amissio facultatis. In spiritali verò inuisibilis, & diuus est inimicus, & preciosissima margarita. Qui enim hac se permiserit priuari margarita, amittet Deum: celestium gaudiorum non fiet particeps, à consortio angelorum excludetur, vitiorum & dæmonum erit captiuus, & à collegio sanctorum alienus. Ideoque sine duce & defensore in Dei itinere non maneat, qui celestis gratia, & præfulgidæ margaritæ possessor effectus est. Omnis prouincia, quælibet ciuitas, singula domus præceptorem habent. Quisque quamuis potens, quamuis nobilis & diues, superiorem recognoscit: & Christi famulus erit absque præfidente: Magna nempe abusio hæc est. Esto autem, quod prouincia, ciuitates, vel domus ex incuria inordinata consistat: Christi tamen sponsa nullatenus debet inordinata relinqui: nec sine pastoris custodia: præcipue propter importunos incurfus, & inopinatos insultus spirituum immundorum. Nam die noctique fieri debent excubiæ à præfidentibus, ne à rugientibus leonibus rationabilium Christi ouium vel vna rapiatur. Non enim cessant sue malignitatis venena diffundere: vt perimant innocentes. Proinde sicut animarum ducibus incessanter congruit super sibi commissos vigilare: ita vt vnaquæque ovis sub proprii vmbra pastoris confugiat, & ibi quiescat, vt ab irruentibus latronibus secuta permaneat. Quæ verò soliuaga, & absque duce vagatur, cibus efficitur intellectualium bestiarum. Habiter illa, quæ propriam diligit salutem cum cæteris. Pastoris sui agnoscat vocem, vestigia imitetur, mandatis obtemperet, & suam sub illo abneget voluntatem. Proprio pastori tãquam Christo obediatur, & semper in præfidente Deum audiatur loquentem: Christi que reformet imaginem. Qui enim spiritalis patris mandatum contempserit, Dei quoque sui contemptor reputabitur, ipso dicente: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Ideo non minus superioris, quàm Dei parui pendenda vox est: præcipue eius, qui specialiter animam suam pro sibi commissis non recusat exponere. Rarò quippe inuenitur, qui animam suam pro amico exponere dignetur. Quando talis inuenitur, venerandus est, & fideliter diligendus: atque vt ipsemet, & plus quàm cætera carior æstimandus. Adiuuandus est, quatenus super impositum illi onus libentius ferat. Tunc autem adiuuatur: tunc ipsius participatur labor: tunc letus effectus pòdus non sentit: quum prompto obeditur affectu. Coacta nanque seruitia fastidioso suscipiuntur animo. Quæ verò alacri mente, placido vultu, & volenti exhibentur corde, lætificant præcipientem. Totus se exhibeat, qui obedientiæ regulam violare timet: & voluntate propria tanquam confusio nis indumento se expoliet, qui Christum imitari desiderat. Forum tribuat, qui totum possidere vult. Nam qualem se quisque pro domino esse studuerit: talem dominum sentiet erga se. Purè nanque obsequenti bus omnino seipsum negare non valet. Elaboret igitur, qui aggregatim prælegit domino famulari: obedientiam diligere, obedientiam peragere, obedientiamque custodire: ne inaniter, & solis hominum aspectibus militet. Nam qui suauè Deo cupit offerre sacrificium, & in subiectionis cæpo querit obtinere

Mat. 10.

triumphum: conetur obedire libenter, vt sibi per obsequium voluntarium in cælis aggreget æternam mercedem. Nil etenim sic cumulat merita, sicut libenter famulari. Simpliciter quoque corde obtemperare studeat, ne præceptore prudentior esse videatur: atque iterum cogatur resumere supra se, quod alteri tradiderat pondus. Famuletur latenter, vt Deo amabilis reddatur: sanctorumque imitetur angelos, qui indubitanter dulcedine, & iucundissima conditori suo obediunt caritate. Obsequatur velociter, nec imperantis votum procrastinet, sed repente iussa perficiat, vt euidenter eluceat totum ipsum pendere in patris arbitrio, & deique illi semper ex sua festinatione ausum imperadi. Obtemperet viriliter, ne minus in arduis, quàm in leuibus cognoscatur parère mandatis, magisque superioris, quàm propriam in omnibus æqualiter se habens diligat voluntatem. Obediatur humiliter, vt non tantum præminentiora, sed etiam viliora peragat cum hilaritate obsequia: nec solis senioribus, sed etiam se inferioribus subiectus sit. Postremò famuletur perseueranter, ne præteritorum laborum amittat mercedem. Parum nanque prodest aliquantum fortiter cucurrisse, & antequam perueniat ad metas, deficere. Non enim placet homini immaturus fructus, nec Deo imperfectum opus. Tunc autem obtutibus redemptoris grata sunt humana obsequia, quum ingenti aguntur ardore caritatis, & laudabili concluduntur fine. Hanc obedientiæ formulam sibi in corde proponat: quisquis in monasterio Deo militaturus accessit. In ipsa tanquam in quodam spiritali se componat speculo: & iugiter contempletur, vt interioris qualitate hominis inueniri valeat. Poterit nanque deformitatem suam reformare, animæ maculas tergere, mentemque erigere, nisi forte solo corpore sanctitatis statum assumpserit.

*Quod spiritalium gustus delectationum nouiter conuersis necessarius est, propter quod debent introduci ad vitam & passionem Christi meditandam: & de triplici meditationum statu animalis scilicet rationalis & spiritalis. Atque qualiter meditari ante diabolum conetur decipere.*

C A P.

VIII.



Acra tradunt historia, quod dominus Iesus postquàm Hebræorum populum in signis & portetis mirabilibus de Aegyptiaca liberasset seruitute, atque submerso in mari rubro Pharaone cum omni suo exercitu duxisset in desertum: quum terrena consumpsissent cibaria, illis cœlestia præstitit alimenta. Nam manna illis de cælo pluit ad manducandum, vt cœlico satiati pane, escas quas in Aegypto reliquerant rursus non appeterent. Cuncta ipsi populo carnali, ac rudi in figura contingebat. Re autem vera ad eruditionem nostri scripta sunt. Indicauit tunc in illis diuinus sermo posteris, quod sicut qui de Aegypto educti fuere, cœlesti necesse fuit vt pascerentur cibo, ne iterum corpore & desiderio reuorterentur ad illam, de qua redempti fuerant seruitutem, si nimia fatigaretur inedia. Ita & qui de voluptuosa ac fœtida seculi huius conuersatione exeunt, & in spiritualem solitudinem monasticæ asperitatis introducuntur: omni

Erod.